



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MUVATTUPUZHENSIS\*** NOVA EPARCHIA IN INDIA CONSTITUITUR

**MUVATTUPUZHENSIS APPELLANDA** Communitates terrarum in orbe ecclesiales multiplices variasque prae se ferunt formas condicionesque, quas legitimas Nos tueri volumus, atque contendimus et studemus, ut floridiorem statum per proprium ritum illae adipiscantur. Nunc de Tiruvallensi eparchia cogitamus ac de eiusdem amplio territorio fideliumque efficaciori cura. Itaque, postquam de hac re Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus rettulit, iudicavimus opportunum nonnulla loca ab eadem distrahere et novam eparchiam condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate novam eparchiam constituimus ab urbe «Muvattupuzha» *Muvattupuzhensis* appellandam, ubi eparchialis sedes locatur, quae regiones in districtis *Ernakulam*, *Thrissur*, *Palakkad* in Statu Keralensi, necnon *Coimbatore* et *Tiruchirappalli* positas complectitur, quamque metropolitanae archieparchiae Trivandrensi suffraganeam facimus. Huius provisionis exsecutionem absolvent Excellentissimus Episcopus Tiruvallensis una cum Excellentissimo Episcopo Muvattupuzhensi. Ad haec tandem perficienda consuetudines iuraque congrua serventur et quae a Codice Orientali praeciipiuntur, quibusvis rebus minime offidentibus. Novensilem tandem ad hanc communitatem benignum animum Nostrum convertentes, exoptamus, ut novum spiritale iter animose ipsa suscipiat, quae per translaticias consuetudines et fervidam pietatem magnum progressum consequatur et fidelibus salutifera largiter afferat beneficia. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo altero, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

IGNATIUS MOUSSA card. DAOUD

*Congr.*

*pro Eccl. Orientalibus Praef.*

Laurentius Civili, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 6, pp. 380-381 © Copyright 2002 - Libreria Editrice Vaticana